



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Responsiones Scriptæ A Philippo Melanthone Ad Impios
Articulos Bauaricæ Inquisitionis**

Melanchthon, Philipp

Vvitebergæ

VD16 M 4171

III. An credant firmiter & sine dubitatione, & doceant, quod sancta
Romana & Catholica Ecclesia mandat credi & præcipit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36288

Ecclesiæ & blasphemos, quos certum est non esse
membra ueræ Ecclesiæ.

III I.

An credant firmiter & sine dubita-
tione, & doceant, quod sancta Ro-
mana & Catholica Ecclesia man-
dat credi & præcipit?

Respondeo.

Non recipio hunc articulum, quia sunt in-
fidiae in uerbo Romanæ Ecclesiæ. Etsi enim
restrictio addita est, sancta Romana: ta-
men Aduersarij intelligunt Romanam Ecclesiæ
agmen Pontificium. Ideò reijcienda est confusio
Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ. Nam Pontificium
agmen non est Catholicæ Ecclesia, nec Romana Ec-
clesia est uniuersi orbis Ecclesia, nec decreta Ro-
manæ Ecclesiæ sunt uniuersalis Ecclesiæ decreta.
Manifestum est Græcam Ecclesiam non prohibere
Sacerdotum coniugium, ut faciunt Romani Ponti-
fices. Manifestum est Græcam Ecclesiam extra mo-
nasteria, quæ recentia sunt, ne nunc quidem habere
priuatas Missas. Manifestum est Græcam Ecclesi-
am ne nunc quidem habere circumgestationem &
adorationem panis, qualem recens Pontifex Vrba-
nus

nus instituit. Decretum Romani Pontificis est:
Romanum Pontificem habere summam autoritatem
iure diuino in Ecclesijs & in regnis. Id decretum
nunquam Asia & Græcia receperunt. Est & insi-
dioса confusio in uerbis, quæ faciunt primum men-
tionem Fidei, deinde præceptorum. Aliud enim est
loqui de Fide, aliud de præceptis rituum humano-
rum. Adfirmamus autem perspicue & sine ambi-
guitate, nos credere omnes articulos Fidei compre-
hensos in Symbolis, Apostolico, Niceno & Atha-
nasiano. Et extat de toto corpore doctrinæ con-
fessio Ecclesiarum nostrarum, consentiens cum Ca-
tholica Ecclesia, uidelicet Symbolis & ueteribus
probatis Scriptoribus. In hac uera doctrina uerum
Deum inuocamus, qui se patefecit misso Filio Do-
mino nostro I E S V Christo, crucifixo, & resusci-
tato, & colimus eum ijs cultibus, quos ipse præce-
pit, iuxta dictum: In præceptis meis ambulate. Et
abhorremus ab omnibus fanaticis opinionibus, quæ
pugnant cum Symbolis, & euertunt politicum or-
dinem, quales sunt opinione Monachorum &
Anabaptistarum. Fides autem qua amplectimur
Symbola, nititur non autoritate aut mandatis Ec-
clesiae, sed perspicuo uerbo Dei, tametsi Ecclesiam
Catholicam docentem piè audimus, & sinceræ ue-
tustatis testimonij confirmamur, sicut Paulus uult
infirmos à firmioribus confirmari.

B S

V. A